

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagratia <von Habsheim>

Friburgi Brisgoiae, 1665

Electio

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

qui matrimonium iniuissent spirituali cognatione impeditum, etiamsi vterque coniugum Catholicus sit.

ELECTIO.

149. Electionis definitio expenditur.
150. Eligendi forma triplex, per Inspirationem vel quasi, per Scrutiniū & Compromissum.
151. Compromissariorum obligatio.
152. Requisita Electionis per statuta Ordinis.
153. Electionis apud Capucinos Processus.
154. Ordo questionum circa casus occurrentes in Electionibus.
155. Quinam in singulis nostris Electionibus presideant?
156. Conditiones eligentium.
157. Exceptio aduersum Electores.
158. De Electorum habilitatione, remissiuè.
Decretum contra subornatores.
159. Secundum statuta Ordinis quinam possint eligere?
160. Eligi debent digniores.
161. Eligere minus dignum quando liceat?
162. Quis dicatur dignior?
163. Dignus reputatur, quisquis non cognoscitur indignus.
164. In electione num liceat vti notitiâ per Confessionem Sacramentalē acquisitā?

165. *Scienter indignum eligere peccatum est graue.*
166. *Conditiones eligendorum ad electionem validam.*
167. *Obseruanda in oppositione contra eligendos.*
168. *Opponens qua seruare debeat?*
169. *Electio nulliter facta quomodo reuandanda?*
170. *Eligendus an suam inhabilitatem prodere teneatur?*
171. *Inualidè electi gesta, quanti valeant?*
172. *Ad Electionem vocandi sunt presentes & absentes.*
173. *Qui commodè venire nequeunt, vocandi non sunt.*
174. *Non vocatis vocandis electio irritari potest.*
175. *Qui non possint renunciare sua voci?*
176. *Elapso termino Electioni prefixo procedi potest à presentibus.*
177. *Electio fieri debet collegialiter.*
178. *Electiois locus.* 179. *Tempus.*
180. *Quousque electionem differre liceat?*
181. *Dies electioni Prouincialis prefixus in Clem. Exiui.*
182. *Quando sumat exordium?*
183. *Num aliorum etiam electiones afficiat?*
184. *In electionibus vota oportet esse secreta.*
185. *Cor-*

185. Certa, determinata, pura, sincera, gratuita & libera.
186. Votum inutiliter datum habetur pro non dato.
187. Electio quandiu possit repeti?
188. Num Vota variari?
189. Si non sortiatur effectum, an reassumi?
190. Electio facta notificari debet electo.
191. Electus quando peccet dissentiendo?
192. Per electionem acquirit Ius ad Prælaturam, non exercitium.
193. Electio confirmanda est.
194. Confirmata cassari nequit, nisi citatis & auditis Electis.

149. **E**lectio est alicuius persone, ad Ecclesiam vacantis Pastoralis dignitatem, canonica vocatio. Laym. de Præl. Eccles. electione. Definitio.

g. 13. Addit P. Sigism. de Elect. dub. 1. n. 3. confirmatione Superioris legitime approbata.

Ad insinuandam Electionis perfectionem, ad quam necessaria prorsus est Confirmatio, tam ex parte Confirmatoris, respectu cuius Confirmatio est necessitatis & debita. c. fin. de Elect. in 6. quàm ex parte Electi, quatenus Electus per Electionem acquirit habitum administrationis & jus ad rem vel ipsam Electionem prosequendam; per confirmationem verò exercitium & jus in re; ut ideò verè Prælatum dici possit, siquidem

P 3

electio

electio est valida, nam ubi electio non tenet, neque confirmatio Superioris tenet. P. Elig. 10. 2. V. Electio. n. 20. Ut verò valida sit, debet esse canonica, hoc est, iuxta formam à SS. Canonibus præscriptam, cum Electio Ministrorum Ecclesiæ pertineat ad S. Pontificem, ut vel ipse eligat, vel præscribat eligendi modum. Vnde in Conc. Gen. Lateran. ut refertur c. Quia propter de Elect. triplex forma Electionis assignatur: *seruitinij* videlicet, *compromissi*, & *quasi Inspirationis*. Ita ut Electio Prælatorum quorumcunq; eo ipso in foro externo habeatur nulla & inualida, si non est seruata forma vna ex dictis tribus.

*Electio
forma tri-
plex.*

Dixi, *Prælatorum*: nam Conc. Lateran. formam præscribit eligendi Prælatum in Ecclesijs viduatis; Ecclesiæ autem viduatae sunt, quæ Pastorem veluti sponsum suum amiserunt. In alijs Electionibus ad dignitates, quæ propriè Prælaturæ non sunt, sufficit quomocunque haberi consensum maioris partis Capitularium communiter cõgregatorum. Laym. cit. q. 78. Lezan. V. Electio. n. 2. Ex Consuetudine tamen apud nos, dicta Decretalis obseruatur non solum in Electionibus Prælatorum, hoc est, Generalium, Provincialium & Guardianorum; verum etiam

am aliorum officiorum ordinis, vt Procuratoris, Definitorum, Discretorum &c.

Dixi etiam *in foro externo*. Nam in foro conscientie certum est Electionem esse validam, & tenere, vbi cetera iure diuino & naturali requisita concurrunt, licet ommissa sint substantialia iure humano introducta. Forma autem naturalis est Consensus Eligentium. Si talis ergo, qui contra formam Canonicam eligitur, confirmetur, est verus Prælatus, neque tenetur in foro conscientie resignare, quia habuit fundamentum naturale. Ius enim positium adinuenit solennitates propter periculum animarum, & deceptiones evitandas, quæ cum cessent in hoc casu, non est de illarum defectu curandum. In foro autem externo Electio celebrata non seruat formam. *Quia propter* quantum ad vnum aliquod vel plura substantialia, est nulla ipso iure. P. Sigism. *cit. dub. 3. n. 1.* Et Electores contra facientes, licet eligendi potestate ipso iure priuati non sint, sicuti sunt, quando peccant in materia, eligendo scilicet scienter indignum, pro ea tamen vice per Superioris sententiam priuari merentur; ante latam sententiam, reiterare electionem non prohibetur. P. Sigism. *cit. n. 10. & n. & dub. 58. n. 4.*

P 4

170. Ele-

*Per inspirationem
vel quasi.*

150. Electio per *inspirationem* vel *quasi* fit, cum Electores nullâ præcedente consultatione, quasi Divini spiritûs impulsu excitati, simul omnes in vnum repente consentiunt, ac simul vnum nominant & eligunt.

Per Scrutinium.

Per *scrutinium* fit Electio, cùm præsentibus, qui debent, volunt, & possunt commode interesse, tres de Collegio fide digni assumuntur, qui secretè & sigillatim vota & suffragia cunctorum diligenter exquirant, & demùm in scripturam redacta mox publicè denunciant, & si factâ collatione omnes, vel maior & sanior pars in eum consenserit, nullo alio extraneo actu interiecto electum pronunciant.

Per Compromissum.

Per *Compromissum* celebratur Electio, si Capitulum communi consensu eligendi potestatem Viris ad id idoneis committat, idque vel absolutè ac simpliciter, vt scilicet Compromissarij eligant eum, qui eis in Domino magis placuerit. De quo Compromisso dicitur *in c. Cum in iure. de Elect.* vel limitatè siue determinatè, vt scilicet Compromissarij votis omnibus secreto inquisitis, eum eligere adstringantur, in quem maior pars Capituli consenserit. De quo *c. cum Dilectus. de Elect. c. Si cui de Elect. in 6.*

Hæc forma cæteris melior, & apud omnes vltior est, teste P. Sigism. *dub. 2. n. 10.*
præ-

præfertim in nostro Capucinator. Ordine, de qua proinde sola, cæteris prætermisissis, dicetur in sequentibus.

151. Compromissarij, fines sibi præscriptos, omnino diligenter custodire debent, alioqui, si quid contra demandatâ formulam fecerint, nullum habet iuris effectum **Electio.** Ad essentiam & substantiam huius Electionis generaliter requiritur. 1. quoddam Compromittentes sint simul omnes congregati, qui volunt & debent interesse. 2. quoddam omnes compromittant in vnum, vel duos, vel tres, aut quot volunt, siue sint de Collegio siue nō. 3. quoddam Cōpromissarij scrutentur vota singulorum secretè & sigillatim, siue vivâ voce, siue per schedulas, in quibus scribatur nomen eius, in quem quisque Elector cōsentit. 4. quoddam eligant illum, in quem maior pars totius Capituli consenserit. Hanc electionem ab vno scrutatorum, seu Compromissariorum, de necessitate verbaliter faciendam esse volunt multi DD. Lezan. tamen *to. 1. c. 15. n. 12.* vbi consuetudine oppositum introductum fuerit, id observari posse tradit, cum sine tali nominatione, ab vno, omnium nomine factâ, salvetur quicquid ex natura rei requiritur ad electionem, scilicet consensus liber eligentium signis expressus &c. prout in no-

P s

stis

CLF.
Compro-
missari-
um obli-
gatio.

stris Guardianorum electionibus scrutatores aliâ solennitate non vtuntur, quàm quoddam vota suffragantium in charta peculiari notata, ipsi Definitioni ad manus consignent. Pro alijs Electionibus seruanda sunt formulæ, & modus præscriptus in fine nostrarum Constitutionum.

CLII.
*Requisita
Electiois
per statu-
ra Ordinis.*

152. Omissio etiam solennitatis, per statuta alicuius propriæ Religionis, requisitæ, Electionem reddit ipso iure nullam, non solum si habeat Clausulam, vel expressè, vel tacitè & virtualiter per æquipollens, actum illum irritantem, sed etiam si statutum desideret aliquam qualitatem, quæ inter alias de iure communi necessaria non est, pro forma requirere videtur, etiam si ipsum statutum loquatur per verba affirmatiua, nec procedat vltterius annullando. P. Sigif. dub. 7. n. 7. Et Clem. 8. in Decreto pro Reform. Regul. factæ & confirmatæ per Urban. 8. precipit vt in Superiorum & officialium omnium Electionibus forma præscripta à S. Conc. Trid. & Ordinis Constitutionibus inuiolabiliter seruetur &c. Quod igitur statuta nostra c. 8. nec non post finem, separatim præscribunt Electionem fieri debere per schedas (nisi peritiam scribendi, vel potentiam Eligens non haberet) ita quod iuxta Conc. Trid. Eligentium vota secreta semper maneant, neque vllius absentis

sentis suffragiū admittatur. Id ad vnguem seruandum est, aliter facta Electio nullius erit roboris.

Peractâ Electione, Schedulas & omnia huiusmodi scripta, coram omnibus Vocalibus illicd comburi mandauit. Idem Clem. P. in Bulla. Decet Romanum. & Pius 5. qui vt refert P. Bassæ 10. 2. V. Electio n. 16. Declarauit ad mentem Conc. c. 6. sess. 25. Et ad supplicationem multorum Religiosorum, vt omnes Electiones fiant per vota secreta, medijs Schedulis, & nunquam publicentur nomina, & peracto scrutinio eorum, qui plura habent suffragia vltra medietatem, habeantur electi: Quo facto coram Capitulo crementur schedulæ: Et irritat electiones, quæ non seruauerint prædictum modum.

153. Præter ea, quæ supra dixi esse de substantia Electionis, sunt etiam aliquæ solennitates accidentales, quæ quamuis ipso facto non faciant Electionem irritam, si omittantur, possunt tamen reddere annullandam, si fiat oppositio. Tales, vt apud varios status & Religiones sint admodum variæ, totus Electionum nostrarum, necnon & aliarum actionum Capitularium, Processus, modo sequenti peragitur.

1. Statuitur per PP. Definitionis locus
&

CLIII.
Electio
apud Capucinos
Processus.

& dies celebrandi Capitulum Prouinciale.

2. Expediuntur tempestiuè à P. Prouinciale Citatoria, quibus omnes & singuli Guardiani iubentur maturè instituere Discreti Electionem, conuocatis ad eam, quos eidem interesse oportet, atque in dicto tempore ad locum Capituli, &c. simul comparere. Ceteri familiæ fratres admonentur ad singularem vitæ regularis obseruantiam, preces, &c.

3. P. Guardianus constitutâ horâ Discreti electionem instituit, ad cuius exordiū prælegi facit, vel ipsemet prælegit Citatorium, Item partem Constitutionum c. 8. §. In aller Erwählung/ &c. vsque ad locum Religion vollendet. Modum quoque dandi suffragia seu schedulas ad finē illarū præscriptum insinuat, & prout videbitur necessarium, legit, aut aliàs instruit. Recitatur verò atque etiam inculcatur §. de Subornatoribus. ex Decreto Clem. 8. pro Reform. Regul. Interrogantur Electores nunguis impedimentum sciat, siue ex parte eligentium aut eligendorum, siue vnde cunq; electioni legitimæ contrarium: idque tribus, modico interposito temporis interuallo, vicibus, dicendo 1. 2. tertid. Si nihil impedimenti occurrat, imploratur Spiritus sancti gratia alternatim recitando Hymnum,

num, Veni Creator Spiritus. Jurât singuli, tacto pectore Sacerdotes, cæteri S. Evangelio, coram P. Guardiano vel etiam vno aut pluribus seniorum Patrum, vbi copiosior est Electorum numerus, de eligendo meliori, &c. A Guardiano ac duobus seu tribus senioribus, seorsim deliberatur de scrutatoribus duobus, qui, postquam secesserint, mox proponuntur cæteris Electoribus; si nulla fiat ab his exceptio, reuocantur ad Capitulum, ijsque sub obedientiæ præcepto iniungitur fidelitas in excipiendis & annotandis Votis, atque secreti obseruantia. Distribuantur singulis schedulæ, quæ postmodum inscripto voto, verbis clavis ac distinctis, v. g. *Ego eligo P. Petrum de Constantia in Discretum.* proprio quoque nomine, secundum formam præactam, offeruntur Scrutatoribus, colliguntur, conferuntur, &c. dato per ictus tegulæ signo, leguntur nomina eorum, qui vota obtinuerunt, incipiendo ab eo, qui pauciora nactus est. Si quis vnum tantum aut duo vota habuit, eius nomen nõ exprimitur, sed solum dicitur, *Pater, frater N. habuit vocem vnam, voces duas.* Cui vltra medietatem data sunt, is pro electo publicatur, iuxta formam præscriptam in Constitutionibus. Quando vno scrutinio Electio non perficitur, repetuntur

scrutinia

scrutinia vsque ad quintum, quo inutiliter etiam facto inuocatur iterum Diuina gratia, vt supra; tum proceditur ad scrutinium sextū, in quo si necdū electus habetur, priuatus eoispo existit pro illo Capitulo Conuentus, ne Discretum eligat. Electio autem Discreto, schedulæ omnes, præsentate adhuc Capitulo, comburantur: Ipsum scrutinium, à Scrutatoribus subscriptum, & sigillo Conuentūs obseratum eidem consignatur deferendum ad Capitulum. Eiusdem etiam electio mox à P. Guardiano significatur R. P. Prouinciali, qui cognitis omnibus ad Capitulum Prouinciale venturis, tabulam inde conficit Capitularem, distribuens singulis officia peragenda tempore Capituli.

Quartò. In Vigilia Capituli Prouincialis, examinantur scrutinia Discretorum per Patres Definitionis, vno post alterum vocato & præsentate simul Guardiano, qui testimonium propterea ferat, aut vbi aliqua suborta fuerit difficultas, processum Electionis referat. Expediuntur sic omnia pro futura, in subsequenter diem, Electione; sit eodē vespere à P. Prouinciale exhortatio ad Electores, de qualitatibus Eligendorum, & requisitis ad Electionem canonicam.

5. Ipso die Electionis, tempestiuè dicitur

ent à P. Prouinciale vel Digniori Capituli Patre, Missa de Spiritu Sancto, in qua omnes etiam Vocales, qui Missam ipsi non dixerint, S. Eucharistiam accipiunt. Sub finem Missæ semel ac iterum repetitis istibus ad regulam, signum datur conueniendi ad locum Capitularem.

6. Congregatis in vnum Capitularibus, leguntur è tabula nomina omnium, quos Capitulo interesse oportet, ad cognoscendum, quot & quinam adsint aut deficiant. Præleguntur statutorum pars, & alia, fiuntque sicut in electione Discreti, nisi quoddam constituantur tres numero Scrutatores, & scrutinia repetantur toties, quoties fuerit opus, vt competens Definitorum numerus compleatur, eâ ratione, vt duo tantum è priori Definitione remanere possint, substitutis cæteris, vel etiam omnibus novis, qui anno illo Definidores actu non fuerunt.

7. Peractâ Definitorum electione, P. Prouincialis genus flexus seipsum accusat de commissis in administrato Prouincialatûs munere defectibus, resignat officium, tradens primo Definitori sigillum, & subiiciens se syndicatui, quem continud PP. Definidores noui instituunt, auditis in Definitione singulatim omnibus Capitularibus, si quidem

quidem eâ vice Provincialis ille denuò eligibilis est; alioqui differri potest syndicatus in commune Capitularium examen.

8. Inde proceditur ad Electionem novam Provincialis, servatis omnibus, quæ de Discreti & Definitorum electionibus dicta sunt, eo tantùm excepto, quod iuramentum aliud non præstetur, cum semel in exordio præstitum ad omnes illas Electiones sese extendat. Publicatâ novi Provincialis, seu denuò assumpti electione, Primus Definitorum incipit Hymnum *Te Deum laudamus, &c.* fit processio ad Ecclesiam cum Cruce, post omnes, incedentibus recentè electis Definitoribus, & agmen claudente novo Provinciale, quo, ad medium altaris, genua flectente, duo Patres in ea Definitione iuniores dicunt *Vers. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Omnium* Responsio fit; *A templo sancto tuo, quod est in Hierusalem. V. Ora pro nobis S. Dei Genitrix. R. Ut digni, &c. V. Signasti Domine servum tuum Franciscum. R. Signis Redemptionis nostræ.* Tum Primus Definitor prosequitur. *V. Domine exaudi, &c. V. Dominus vobiscum. Dicit Orationes, Deus qui corda fidelium, &c. Concede, &c. de B. Virgine, atq; Deus qui Ecclesiam, &c. de B. P. Francisco.*

9. Idem Definitor mox acceptâ stolâ
stans

Stans ad sinistrum altaris latus, sermonem
habet ad præsentés auditores de cura Pa-
storali, laboribus, eiusdem remuneratio-
ne, &c. Interim genibus flexis in infimo
altaris gradu persistente P. Prouinciale, cui,
finito sermone, dictus Definitor consignat
officij sigillum, commendat nouo Pastori
gregem, ei que post sumptam stolam ad la-
tus aræ dextrum sedenti, post Definitores,
vniuersim omnes in signum obedientiæ ac
reuerentiæ manum deosculantur.

10. Audiuntur deinceps Capitulares om-
nes singulatim secundum familias. Omni-
bus auditis, examinatis, & quantum neces-
se fuerit, expensis atque decisis, fit tracta-
tus & consultatio super Prouinciæ statu,
prouisione Superiorum, si qui sint, qui vel
annos à Constitutionibus præscriptos in of-
ficio absoluerint, vel alias ob causas remo-
uendi, alijque substituendi sint. Cuius ergò,
noua prorsus fit electio per noua Scrutinia,
à PP. Definitoribus, quorum quisq; in sche-
da oblonga scribit tot nomina Patrù, quot
necesse est institui Guardianos. Vocatis in
Definitorium duobus Patribus, qui anno
sequenti à Guardianatu soluti iam noscun-
tur, in Scrutatores deputatis more solito,
schedæ omnium Patrum eligentium ad
manus consignantur: Qui exinde factâ

col-

collatione singulorum vota in alia charta propria, peractas electiones vicissim insinuant. Occultæ autem seruantur à communi aliorum notitiâ, quousque dispositis omnibus Prouinciæ familijs, congregatis in vnum vniuersis Capitularibus promulgantur per Patres Definitionis factæ ex antea actis ordinationes, quibus monentur omnes (vnde monita dicuntur) in certis casibus, quibus aliqua vitæ seu obseruantia Regularis remissio contigisse vel imminere per Definitoriales inquisitiones comperitum est, esse deinceps cautiore, &c. constitutâ etiam in transgressores, vbi opus fuerit, pœnâ aliquâ, &c. Publicantur item Electiones eo Capitulo peractæ, & recentes Conuentuum omnium dispositiones; atque ita demùm finito Capitulo dimituntur omnes ad præscriptas sibi familias.

CLIV.
*Quæstio-
nes circa
Electio-
nes.*

154. Cùm Electiones apud nos frequentes admodum sint, in quibus varij casus & plurimæ difficultates contingere solent aut possunt, de his breuiter, prætermisâ longiori disputatione, dicam, ne obscuritas breuitati affinis perplexum lectorem faciat, sequenti ordine. 1. De conditionibus Eligentium, 2. Eligendorum, 3. Electionem antecedentibus. 4. Concomitantibus. 5. Consequentibus,

§. 1. DE

§. I. DE CONDITIONIBVS
Electorum.

155. **C**onstat ex dictis triplices apud nos
potissimum exercitari electiones,
I. Locales siue Cōuentuales pro Discreto. 2.
Capitulares, Generales aut Prouinciales, il-
læ sūt pro Generalibus Ordinis totius Mini-
stro, Definitoribus ac Procuratore in Ro-
mana Curia; istæ autem pro Ministro &
Definitoribus Prouincialibus, item Custo-
dibus ad Capitulum Generale, si celebran-
dum est. 3. Definitoriales, pro Guardia-
nis, &c. In localibus Præsidem (qui tan-
quàm caput Gremiales ad electiones legi-
timè faciendas dirigat) agunt Guardiani;
In Capitulis Generalibus ordinariè Emi-
nentissimus Protector Ordinis, vel isquem
S. Pontifex speciatim deputauerit; In Pro-
uincialibus, vsque ad Electionem PP. Defi-
nitorum, P. Prouincialis, tum Primus De-
finitor, postquàm ille suo munere defun-
ctus est, quousque nouus Prouincialis eli-
gitur, qui deinceps reliquis omnibus præsi-
det. Electio Discretorum pertinet ad Con-
uentuales, quibus præfectus est Guardia-
nus, concurrentibus insuper alijs è Conuen-
tu sēt Conuentibus vicinioribus, qui nec-
dum proprio Guardiano gaudent. Electio-

C.IV.
Electio
Præsides

Q2

nes

nes Generales fiunt à Prouincialibus totius Ordinis, atque Custodibus idèd singulariter electis à singulis Prouincijs. Prouinciales à Guardianis eorumq; socijs siue Discretis. Definitoriales à Definitoribus. Generales & Prouinciales dare suffragia possunt quousque munere suo se necdum abdicârunt. Definitores autem nisi alio titulo, vel Custodis ad Generale Capitulum, vel Guardiani, vel Discreti, vocem actiuam in Capitularibus non habent. Quicunque verò sunt, quibus eligere competit, hi omnes debent esse liberi à censura, impedimento canonico, priuatione vocis, aut inhabilitate ad eligendum, aliàs peccabunt grauiter, & electio ab illis facta nulla est & irrita.

CLVI. 156. Igitur eligere nequeunt 1. Innotati Excommunicatione Maiori. 2. Suspensi ab officio absolutè, aliàs seruandi sunt limites factæ suspensionis. Quin etiam ab Officio suspensi eligere possunt, si vox illis competat ratione beneficij, vnde Guardianus ab officio suspensus, licet in Discreti localis Electione suffragium præstare nequeat, potest tamen in Electione & Capitulo Prouinciali, vbi ex beneficio Guardianatus suffragator existit: nisi etiam à Beneficio simpliciter suspensus sit, vt paulò ante de suspensio ab officio dictum. P. Sigism. dub. 64.

3. Ex.

CLVI.
Conditio-
nes eligē-
tium.

3. Excluduntur Interdicti, & qui scienter in loco interdicto celebrauerunt. nisi super hoc fuerint priuilegiati. 4. Denique quibus interdictum eligere sine licentia superioris. *Lezan. ro. 1. c. 15. n. 5.* Idem asserens de Irregularibus, sed hos admittunt plures. *P. Sigism. dub. 67. & alij apud P. Elig. ro. 1. V. Electio. n. 8.* nisi aliud speciali iure caueatur in aliqua speciali Irregularitate, vt est illa homicidij notorij per *Constit. Pij 5. Ad retinendas. 1461. 28. Ian.*

Circa Excommunicatos adverte, illos tantum ab Electionibus, seu voce actiua excludi, qui non sunt tolerati, illi nimirum qui nominatim denunciati sunt, aut publici Clerici percussores, hos enim duntaxat vitare tenemur, per *Extrau. Ad euraada.* Admittuntur ergo excommunicati recepta sententiâ, teste *P. Sigism. dub. 63. n. 10. Peyr. de Pralato. q. 2. c. 5. n. 13.* non in fauorem eligentis, sed Electi & Ecclesie, ad quam eligitur. Vnde si sponte ad eligendum cum alijs sese intromittat, peccabit grauiter exercendo actus, à quibus est suspensus, secus autem si ad petitionem alterius, & in illius fauorem. *Peyr. cit. qui §. 1.* id ipsum extendit ad suspensos. Et §. 2. ad interdictos. Sed verius est, doctrinam præcedentem intelligendam esse solum de Excommunicatis, vt

Q3

probat

probat P. Sigism. *dub. 64. n. 9.* autoritate
 Rotæ Romanæ; non enim est par ratio de
 excommunicato occulto & non declarato,
 & de suspensio vel interdicto, quia sus-
 pensus etiam occultus censetur prohibitus
 ab exercitio jurisdictionis & consequenter
 etiam electionis (quia nomine officij com-
 prenditur omne exercitium Clericale seu
 Ecclesiasticum, vox autem, est vnum ex Ec-
 clesiasticis exercitijs, Panorm. *in c. Cum su-
 per. n. 4. de Confess.*) Excommunicatus verò
 non priuatur exercitio ordinis vel officij,
 donec fuerit declaratus, sed tantum com-
 munionem Sacramentorum.

CLVII.
*Exceptio
 aduersus
 Electores.*

157. Proinde licet aliquis esset in capi-
 tulo excommunicatus etiam publicus, mo-
 dò non sit nominatim denunciatus, aut no-
 torius Clerici Percussor, & cæteri Capitu-
 lares id scirent & tolerarent voluntariè,
 non per hoc Electio secuta esset invalida,
 cum vt dictum est, tales vitare non tenea-
 mur. Quid si autem in tali casu ab aliquo
 Electore contrà illum fiat exceptio? R. An-
 tè Electionem, siue iam dederit suffragium,
 siue non, reijciendus est à Capitulo, tum
 quia dicta *Extrau. Ad euitanda.* nullum fa-
 uorem fecit Excommunicatis, nec vllum
 jus eis contulit. Tum quia licet permittat
 alijs communicationem cum illis, nemi-
 nem

nem tamen ad hoc obligavit ; vndè quilibet de Capitulo potest eum repellere, nec ipse habet jus aliquod, quo se tueatur. Et quamuis cæteri nolint repellere, irritanda nihilominus erit electio, quia jus eligendi spectat ad singulos de Capitulo, pro parte sua, vnde singulorum interest, ne talis admittatur; neque enim cogi quispiam potest, vt cum Excommunicato communicet. Si post Electionem fiat exceptio, valida erit electio, & suffragium excommunicati computabitur in numero eligentium, tanquàm si excommunicatus non esset, quia licet quoad se sit priuatus iurisdictione, quamdiu tamen non repellitur sed toleratur, Ecclesia iurisdictionem supplet. P. Sigism. & Peyr. *vbi supra*. Si casus esset, quod omnes Electores essent inhabiles, vno excepto, ad illum solum ius electionis deuoluitur, cum in tali casu representet totum Capitulum. Non tamen possèt seipsum eligere. Quia id esset signum euidentis ambitionis. E contra verò, si omnes Electores, vno excepto, habiles essent, inhabilitas illius non reddet irritam electionem, iuxta Regulam *utile per inutile non vitatur*, nisi solum, quando illum cognitum euidenter vt inhabilem, ad eligendum, voluntariè admitterent ad electionem, cum possent repellere, quo casu priuarentur

Q4

omnes,

omnes, quotquot ita scienter eligunt. P. Lezan. t. 1. c. 14. n. 6. Vide de hoc posteriori infra. n. 166.

CLVIII. 158. Quis possit impedimenta Censurarum tollere, dictum est V. Absolutio quoad fratres. De Irregularitatibus dicitur proprio titulo. Priuationes & alia huiusmodi pœnæ ac inhabilitates quando contrahantur, & quomodò tollantur. V. Pœna Ecclesiastica.

Omnis generis pœnæ, quia contra subornationes potissimum fulminantur, atque tam Eligentes quàm Eligendos peculiariter feriunt, solentque idcirco ante electiones communiter inculcari, de his isto loco singulariter agendum est, sunt ergò verba Decreti contra Subornatores facti à Clem. 8. de Reform. Regul. & iussu Urban. 8. à S. Congreg. approbati, sequentia:

Decretum
cõtra Sub-
ornatores.

Ve omnis officiorum ambitus occasio praeludatur, caveant omnes à directa vel indirecta vocum seu suffragiorum procuracione, tam pro seipsis, quàm pro alijs, tum in Capitulis locorum, tum in ceteris, præsertim generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicumque secùs fecerint, præter alias pœnas & censuras hæctenus contrà huiusmodi ambientes influctas, quas in robore suo permanere volumus, in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso

eo ipso incidant, & ad futura quaecunque pariter inhabiles habeantur, super quo, cum eis à nemine dispensari possit, nisi à nobis vel à successoribus nostris, & pro qualitate culparum, grauius etiam amplectantur. Porro supradictas omnes penas ad complices, ac simpliciter scientes & non reuelantes extendimus. Usque huc verba Decreti, quod acuratè P. Philippus de Bictis in Epitome Causar. iudic. Regul. expendit, declarat, multisque ampliationibus, limitationibusque illustrat q. 127. vbi singulariter etiam de subornatione bona & mala; De potestate dispensandi in istis penis, &c. de quibus in isto tractatu, locis agetur superius indicatis.

159. Ab eligendi potestate, communi quoque praxi & iure innonato in Trid. sess. 23 de Reform. c. 4. arcentur conuersi siue Laici, & qui sacro ordine maiori non sunt insigniti, qui tamen apud nos admittuntur ex concessione Pij 5. vti habetur in Constit. c. 8. modò tamen quatuor in Religione annos exegerint.

Sicut è contra repelluntur, qui pedestres Capiculum, vel Generale, vel Prouinciale adire nequeunt, vt supra dictum V. *Discretus*. ex Constitutionibus, quæ cum solis Definitoribus actu existentibus, facultatem equitandi ad capiculum in casu necessitatis

Qs faciant,

CLIX.

Qui possunt
sint eligere
secundum
statuta
Ordinis?

faciant, ceneri potest non solum Discretos, & Custodes ad Generale Capitulum, arceri; verum etiam Guardianos, per Regulam Iur. Quod Exceptio firmat Regulam in contrarium. De qua Barboſ. in axiom. V. Exceptio. Vbi dicit, quod Exceptio declarat & firmat regulam in non exceptis: nisi obstaret alia Regula; Pœnam non irrogari, nisi expresse iure caueatur. Auth. de non Elig. secundum nuben. §. si autem. Et Pœnas ad alios casus non esse extendendas, sed restringendas. l. factum cuique. §. in pœnalibus. Etiam si extensio fiat ex similitudine rationis. Ioan. Andr. in Reg. Odia. de Regul. Iur. in 6. Quare hoc alijs diiudicandum relinquo.

Manendo ergo in terminis Discreti, vel etiam Custodis ad Capitulum Generale, nunquid per Generalis aut Prouincialis dispensationem ad ferenda suffragia admitti poterit, si quis eorum equitando capitulum accedat? Prænotato ex P. Sigism. dub. 94. duplicem esse dispensationem, necessariam, quæ cedit in vtilitatem publicam, vt quia scandalum evitatur, vel Religiosus voce priuatus est valde vtilis Religioni &c. Et Arbitrariam, quando subest vtilitas solius Personæ, vt quia sit alijs bonæ conditionis, erroris pœniteat &c. Dico, admitti posse, quando Electio alicuius in Custodem aut Discretum fuit ab initio valida, & Persona

sona ordini aut Prouincia multum est utilis
 aut necessaria; secùs autem, si priùs fuit nul-
 la, v. g. quia ipso iam Electionis tempore
 iudicabatur impotens ad iter pedestre, ab-
 que spe, moraliter quasi certâ itinerâdi. Ex
 quo enim Electio nō subsistit à principio, nō
 potest conualidari etiam per superuenien-
 tem dispensationem Superioris sine con-
 sensu eorum, ad quos spectabat Electio. P.
 Sigism. *dub. 70. n. 4. & 5 per Regul. iur.*
 Non firmatur tractu temporis, quod ab ini-
 tio non subsistit. *c. Non firmatur. de Regul.*
Iur. in 6. Quod verò Prouincialis aut Ge-
 neralis dispensare possint cum personâ, vt
 supra, qualificatâ tùm vt passivè primùm
 concurrat, ad electionem v. g. Discreti, tùm
 etiam actiue in Capitulo, quod equester ac-
 cessit, probatur *ex eodem dub. 84. n. 4.* quia
 sicut Episcopus dispensando super delicto,
 ad quod illius facultas se extendit, vt in a-
 dultério, furto, sacrilegio, falso testimonio,
 vel alio huiusmodi mediocri crimine non
 grauiori adultério, accessoriè tollit infamiã
 ex tali delicto ortam iuxta Nau. & alios. Ita
 quoque Generalis & Prouincialis, quibus,
vt dictum, V. Dispensatio. n. 162. licet dispen-
 sare in equitando, stante aliqua necessitate
 sufficienti, qualem hîc esse dixi. *V. Discre-*
tus. Dispensare similiter poterit in eo impe-
 dimento,

dimento, quod inde consequitur. *vide infra*
n. 169.

CLX.
*Eligi de-
bent dig-
niores.*

160. Aduertere debent Electores, si
absque culpa esse velint, vt digniorem sem-
per inter concurrentes, in Prælaturam præ-
sertim, eligant, qui scientiâ, moribus, vitâ &
exemplo, merito, valeat magis prodesse,
quàm obesse gregi, omni postposito amore,
odio, rancore, vel prece. Aliàs licet (vt DD.
aiunt) indignum eligendo, vnum commit-
terent mortale peccatum; Indubitanter ta-
men teneant, se omnium peccatorum, ab
eo sic indigno electo, in Prælatura illa com-
mittèdorū, pœnâ incurfuros. Quod S. Syno-
dus Trid. *sess. 24. c. 1.* expressis verbis asserit,
dùm omnes habentes aliquo modo ius in
electionibus & promotionibus faciendis,
hortatur & monet, vt *in primis meminerint,*
nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem
uilius posse facere, quàm si bonos Pastores, & Ec-
clesia gubernanda idoneos promoueri studeant,
eosque alienis peccatis communicantes mortali-
ter peccare, nisi quos digniores & Ecclesia ma-
gis uiles ipsi iudicauerint, non quidem precibus,
vel humano affectu, aut ambientium suggestioni-
bus, sed eorum exigentibus meritis, præfici di-
ligenter curauerint, & quos ex legitimo matri-
monio natos, & vitâ, ætate, doctrinâ, atque alijs
omnibus qualitatibus præditos sciant, qua iuxta
SS.

SS. Canones & Trid. Synod. decreta requiruntur. Ita Trid. cit. ad quod respiciens Clem. 8. in Decret. pro Reform. Regul. ab Urban. 8. confirmato, mandat, vt iurent Electores secundum veritatem cuiusque conscientia, probiores ac magis idoneos se electuros, ac propterea, inquit, priusquam ad electionem deueniatur, imprimis & ante omnia praelegantur Constitutiones de qualitate & requisitis eligendorum, atque vt ad officia, gradus & Prælaturas illi præcipue eligantur, qui possint & consueuerint Regulas Ordinis & Constitutiones obseruare, præsertim qua pertinent ad seruitium Chori ac vestitum & victum communem, &c. Sed de hoc aliàs etiam V. Definitor.

161. In promouendo tamen dignos, prætermittis dignioribus, ad beneficia & prælaturas, etiam quibus annexa est cura animarum, etsi Electores iurent se electuros esse probiores ac magis idoneos, contingere potest, vel nullum, vel veniale duntaxat esse peccatum: vbi scilicet excessus dignitatis & meriti huius dignioris est paruus, licet officium vel munus magni momenti extet. Item quando magis dignus est extraneus, vel cum maior pars vult eligere minus dignum, tunc minor pars potest non digniorem eligere, sed dare votum minus digno. P. Elig. 10. l. V. Electio n. 10.

Lezan.

CLXI.
Eligere
minus
dignum
quando
liceat?

Lezan. 10. l. c. 15. n. 14. Vbi cum Banni, con-
descendit, quod pro bono pacis etiam possit
quis suffragari minùs digno, dum omnes
alii illum eligere vellent, captiuando pro-
prium intellectum in obsequium omnium
aliorum, quòd dignior sit.

CLXII. 162. Porro dignior in proposito dici-
tur, qui ad Prælaturam vel munus de quo
agitur, gubernandum & sustinendum ap-
tior & conuenientior est, omnibus conside-
ratis & perpenſis, non verò sanctior vel do-
ctior; qui tamen in cæteris non est ita ap-
tus illi ministerio, sicut primus, non tantà
sanctitate vel doctrinâ excellens: quia ad
maiores qualitates morum & litterarum
absolutè non est attendendum in hac mate-
ria, sed ad illas solummodò, quæ muneri,
de quo agitur, magis proficiuæ & vtiliores
erunt, dummodò præficiendus, siuè eligen-
dus sit aliàs bonus ac idoneus vitâ, mori-
bus, ac doctrinâ Bassæ. cit.

CLXIII. 163. Elector, dum non cognoscit aliquem
indignû, debet eû, adhibita debita diligentiâ,
dignû reputare. c. Ex parte tua de scrutinio. si
sciat eligendum fore perniciosum commu-
nitati, quia mala vitæ & conscientia est, te-
netur eius delicta reuelare, etiam si occulta
sint. Nam bono Communitatis consulere
strictius iure naturali obligat, quàm secre-
taria

CLXII.
Quis di-
catur di-
gnior?

CLXIII.
Dignus
habetur
quisquis
indignus
nō cognos-
citur.

tum seruare. Si verò non est futurus perniciosus Communitati, sed vni vel aliquibus particularibus, in rebus nõ magni momẽti, tunc teneor seruare secretum, quia illius obseruatio est de iure naturali, quod propter bonũ huiusmodi particulare aliorum non est omittendum, Lezan. *cit. n. 15.* & P. Philipp. *vbi supra n. 27.*

164. An possit quis iustè suum suffragium negare alicui, quem per solam Sacramentalem Confessionem nouit indignum, cui aliàs deberet suffragari? grauis est quaestio. Non posse solum, sed etiam teneri affirmant grauissimi DD. D. Bonau. S. Thom. Scot. & alij plures quos nominat P. Coriol. *de Cas. Reseru. p. 1. s. 1. a. 13. & 16.* siquidem nullum sit periculum reuelationis, ratione cuius Soar. *in p. 3. 10. 4. d. 33. s. 7. n. 12.* vult eam sententiam non procedere, quando electio fuerit publica & persona talis, quæ communiter existimatur digna, cui elector suum suffragium deferre debeat, quia tum potest generari suspicio alicuius criminis cogniti per confessionem, quod propter reuerentiam sacramenti planè vitandum est. Limitat insuper prædictam sententiam, nisi prohibitio aliqua humana interuenerit. Quare cum Clem. 8. *in Decreto pro omnibus Regularibus edito An: 1593: 26. Maij.*

CLXIV.

*In Electio-
ne num
licet gra
notitiã
sacramẽ-
tali?*

26. May. statuerit, vt. tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui postea ad Superioritatis gradum promoti fuerint, caueant diligenter, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur, &c. Ideò Coriol. l. c. P. Sigism. dub. 35. & alij censent amplius nò licere eâ notitiâ vti in electionibus; quamuis enim Decretum illud præcisè illos tantùm videatur concernere, qui ad Superioritatis gradum promoti fuerint, mens tamen Pontificis, ne notitia, quæ de peccatis in confessione habetur, ad exteriorem gubernationem adhibeatur, absolutè non tam personam Superioris, quàm tanti Sacramenti reuerentiam, ne sacrilegè frequentetur, censenda est respicere. Quare probabiliùs nunc meritò censetur, vt qui per solam Confessionem cognoscit aliquem indignum, eâ scientiâ non possit vti, sed ita se gerere debeat, ac si nihil nouisset. Illud certum habetur, pœnas in iure statutas contra illos, qui indignum elegerint, neutiquàm incurri; quia leges, quæ similes pœnas imponunt, semper intelliguntur secundùm scientiam communem & cognitionem humanam.

§. 2. DE RE QVISITIS ELI-
gendorum.

165. **C**ertum est ex paulò antedictis, peccare semper mortaliter, qui ad quascunque dignitates Ecclesiasticas, aut officia scienter indignum eligunt; Etenim, vt in iure dicitur. *c. Graue nimis. de præbendis. Graue nimis est, & absurdum, quòd quidam Ecclesiarum Prelati, cùm possint viros idoneos ad Ecclesiastica beneficia promouere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur, carnalitatē sequentes affectū, non iudiciū rationis; vnde quāta Ecclesijs damna proueniant, nemo sanae mentis ignorat.*

CLXV.
*Scienter
Indignū
eligere
peccatum
graue est.*

166. Non solum autem peccaminosè, sed & invalidè eliguntur 1. Excommunicatione maiori obstrictus, siue à iure, siue ab homine, generaliter, aut nominatim excommunicatus sit, siue sciatur ab Excommunicato & Electoribus, siue ignoretur ab utrisque, siue demùm toleratus, siue non toleratus sit. Quia iura vniuersaliter loquuntur, & inhabilitant excommunicatum ad dignitates prædictas. Neque refert, quòd excommunicatio non sciatur etiam per ignorantiam inuincibilem, quia hæc licet excuset à culpa, & aliquando etiam à

CLXVI.
*Conditio-
nes Eli-
gendorū.*

R

pœna,

pœna, non tamen actum facit validū, quem
 Ecclesia irritauit, nec reddit capacem, quæ
 Ecclesia incapacem reddidit. P. Sigism. *dub.*
63. n. 2. & 3. Peyr. de Prælato. q. 2. c. 5. & alij
communiter. 2. Suspendus. 3. cui est sa-
cris interdictum. 4. qui interdictum non
seruauit. 5. Irregularis. 6. Spurius, aut
aliàs non legitimè natus. 7. non iustæ æta-
tis, quæ ad minus debet esse 25. annorum,
vt quis possit esse Prælatus. c. Cùm in cunctis.
de Elect. in quo cùm ad Episcopatum requi-
ratur ætas annorum 30. probabile est idem
requiri ad Generalatum & Prouincialatum.
Lezan. to. 1. c. 18. n. 5. 8. Non debet lit-
teraturæ. 9. Corpore vitiatus, vt leprosi,
paralyti laborantes, seu morbo caduco, po-
dagrâ continuâ, &c. P. Elig. to. 2. V. Electio.
n. 9. 10. Criminosus seu notatus infam-
iam juris aut facti. Infamia facti est, cùm
quis committit crimen, cui in iure annexa
est infamia, ita manifestè & notoriè, vt
apud graues & honestos viros reputetur in-
famis. Infamia juris est, quæ per juridicam
criminis declarationem incurritur. Iure
autem infames habentur periuri in judi-
cio, simoniaci, sodomitæ, sacrilegi, hære-
tici, eorumque fautores, apostatæ à fide,
maledici, qui fratres calumniantur & non
probant, qui contrâ innocentes, Principum
 animos

animos ad iracundiã provocant, &c. Peyr.
l. c. §. 4. vbi n. 53. ad infamiam juris pro-
 bandam, ait, non sufficere ipsius criminis
 probationem, sed requiri propriam delin-
 quentis confessionem, in iudicio factam,
 vel iudicis sententiam. Infamiam verò fa-
 cti probari per duos testes habiles, etiam
 singulares, qui sint contestes, atque dilucidè
 probent factum, ex quo infamia orta est.
 Infamis infamiã meri facti, si reuerà emen-
 datus fuerit, benè poterit promoueri, quia
 huiusmodi infamis non est propriè strictè
 & absolute irregularis, sed secundùm quid,
 quatenùs scilicet prohibetur promoueri,
 stante tali infamiã; vnde ista prohibitio
 cessat sublata infamiã per emendationem.
 Denique aliquo alio canonico impedimen-
 to ligatus. Hi omnes igitur sunt inhabiles,
 vt ad Prælaturas eligantur, & eorum ele-
 ctio ipso iure inanis est & irrita. Azor. *p. 22*
l. 6. c. 14. q. 1. Et si vnum aut plures ad ele-
 ctionem scienter admittant Electores, non
 solum peccant, verùm etiam ipso facto pri-
 uati sunt, pro illa vice, potestate eligendi,
 & potestas prouidendi ad proximum Supe-
 riorem deuoluitur. *c. Si Compromissarius. de*
Elect. in 6. P. Sigism. d. 58. Peyr. vbi supra.
§. 5. n. 19. nisi Capitulum habeat faculta-
 tem dispensandi super inhabilitate illa, quia

R 2

tunc

tunc censetur dispensare. Lezan. 1. 7. c. 13.
n. 6. vide supra. n. 157. & infra. n. 182.

CLXVII.
*Opposito
cōtra Eli-
gēdos.*

167. Quod si tempore faciendæ Electio-
nis, interrogante Præsidi Electores, an sci-
ant aliquem ex illis habere aliquem defectū
vel impedimentum, propter quod nequeat
esse de gremio Capituli, aliquis opponat
alicui aliquam inhabilitatem, debet quan-
tum tempus permiserit, fieri inquisitio de
ea, & si confessione vel evidenti probatio-
ne constaret veram esse oppositionem, sta-
tim debet eijci à Capitulo talis inhabilis, si
sine scandalo fieri potest. Si autem consta-
ret certò, inhabilitatem illi electori opposi-
tam, falsam vel nullam esse, retinendus est
in gremio sic accusatus. Quando verò res
est dubia, cū in dubijs iuuet possessio, &
favendum sit potius reo, quàm actori, ad-
mitti potest & debet, cum protestatione ta-
men facta illi, quod scilicet admittitur ad
eligendum, si & in quantum appareat post-
modum eum debuisset admitti. Idem di-
cendum, quando inhabilitas obiecta est
certa, sed est scandalum, si eijciatur talis
inhabilis, tunc enim admitti potest cum si-
mili protestatione, non tamen sine illa, ne
videatur scienter admissus, & sic corruat
tota actio Lezan. 10. 2. c. 12. n. 30. post Pau.
Sigism. Sylu. & alios Si constar de alicuius
priuatione

privatione vel inhabilitate, non autem re-
habilitatione, admitti non debet, nisi pro-
batâ rehabilitatione. *Peyr. de subd. Reg. q. 1.*
6. 31. §. 6. vers. Dico octauo. Nullus tamen
vngquam excludendus est, quin prius audia-
tur, neque Præses Capituli, cum ampla po-
testate missus à Papa, quemquam priuare
potest voce vel actiuâ vel passiuâ, sine eo
quod prius citetur, ipsique detur copia eo-
rum, quæ contra ipsum fulminata sunt, vt
se possit defendere, quia nemo potest con-
demnari inauditus, Defensiones enim sunt
de jure naturali. Quod aded verum est, vt
etiam si dicatur in commissione, vt possit
priuare illos Religiosos voce actiuâ & pas-
siuâ. Id enim debet explicari & intelligi,
juris ordine seruato in eo, quod ad substan-
tiam juris ipsius spectat: ad quam præci-
puè spectat, vt nemo inauditus condemne-
tur. *Idem §. 10.*

168. Opponens, seu appellans contrâ
aliquem eligendum, aut electum, seu con-
trâ formam Electionis, vel etiam contrâ E-
lectores; debet in litteris appellationem seu
oppositionem continentibus (quæ litteræ
debent esse manu propriâ appellantis sub-
scriptæ) exprimere singula, quæ intendit
objicere, contra vel formam Electionis, vel
personas eligendi, vel Electi, vel Electorû,

CLXVIII.
Opponens
quæ ser-
uare de-
beas?

R 3

&c

& iurate per Sacra Dei Evangelia, quod credit esse vera, quæ opponit. Quod iuramentum debet esse appositum in literis oppositionem continentibus, & etiam quod credit, se ea, quæ opponit posse probare. Habentur hæc omnia expressè in *c. Vt circa. de Elect. in 6.* quod refert atque declarat P. Sigism. *dub. 46.* addens *n. 17.* audiendum non esse, sed repellendum ab objectis in appellatione sua expressis, & alijs, si appellans per viam quærelæ simplicis causam agat contra personam certam nominatim expressam, vel eam appellato agente defendat, nisi constiterit ipsum servasse formam prædictam; Quod si oppositio fiat contra Personam incertam, *vt quod non eligatur excommunicatus, vel quod non fiat electio nisi Canonice, vel ne fiat contra tenorem Privilegiõrum &c.* non tenetur opponens exprimere vitia, nec servare formam dicti *c. Vt circa.* sed sufficit, quod secutâ electione, ea exprimat, & probet ad electionem inuvalidandam & infirmamdam. Peyr. *vbi supra.* §. 11. si Superior, ad quem appellatum fuit, pro appellatione iudicet, tunc omnia acta & attentata, post eam, rescindi debent, perinde ac si ab initio irrita fuerint. Laim. *de Elect. c. 11. q. 115.*

Quænam porro probatio necessaria sit ad excludendum aliquem ab aliqua electione,

ita

ita resoluit. Nau. l. 5. Cons. de Iudaicis. cons. 1. n. 6. Respondeo, inquit, quod ad impediendam Electonem videtur sufficere semiplena probatio, arg. text. sing. in c. Præterea. 2. de spons. qui probat propter dictum vnus testis & semiplenam probationem impedimenti affinitatis, impediendum esse Matrimonium nondum contractum, ne contrahatur; si autem est iam electus & confirmatus, requiritur plena probatio ad reiiciendum & exauctorandum arg. c. super his de accus. & pro vtroque dicto facit c. Quemadmodum. de Iureiur. quatenus probat, quod turpius eijcitur, quam non admittitur hospes. Hæc ille,

169. An aliquo modo reualidari possit collatio beneficij, facta nulljter alicui? Communis est sententia, præter dispensationem inhabilitatis, requiri nouum consensum eorum, quibus præsentatio, electio, confirmatio, vel collatio incumbunt. Peyr. de Prelato. q. 2. c. 5. n. 6. Quandoquidem ergo nostri Provinciales aliter instituere Guardianos nequeunt, nisi per Electionem Definitorialem, sequitur quod per similem tantum, & non aliter, non canonicè electos rehabilitare possint. Dum modò ipsa Definitio tota scienter tales non elegerit iuxta dicta. n. 157. & 166. eo enim casu instituere Guardianum iure deuolutiuo spectaret ad

R 4

Reu. mum

CLXIX.

Electio
irritatio
collatio.

Vide infra V. P. a. na Ecclesiastica. n. 372.

Reu. mū P. Generalē, vide infra n. 181. & 182. P. Cypr. tamen in c. 7. Reg. lec. 28. ad hoc ita respondet ex Sanch. l. 8. de Matr. disp. 7. n. 12. Dispensationem superuenientē, secundūm plures DD. confirmare aliquando posse actus precedentes irritos, v. g. inquit presentatio alicuius ad beneficium, electio, confirmatio, vel collatio irrita fuerunt ex defectu aliquo obinentis beneficium, vt quia erat irregularis, vel inhabilis, si hic postea irregularitatis illius, vel inhabilitatis occulta dispensationem obtineat, eo ipso, absque nova presentatione, collatione, vel electione, potest licitē retinere beneficium illud. Sic tradunt specu. tit. de Dispens. §. nunc de Episcoporum. Innocentius c. Innotuit. n. 2. Vers. quidam contradicunt. de Elect. Et ibi Host. n. 2, 10. Andr. n. 5. Anton. n. 11. & 12. Ancharan n. 2. notab. 2. dicētes doctrinam hanc habere verum, siue dispensans habeat potestatem conferendi beneficium, siue illa careat. Ipse verò Sanch. docet, sententiam hanc esse probabilem & tutam, propter tot, tantorūq; DD. doctrinam, concurrentibus tamen aliquibus conditionibus. 1. quod vitium, propter quod dicti actus fuerunt irriti, occultum sit: quia, inquit, tunc cū validi sint quoad forū externū, non omnino sunt irriti, sed aliquid sunt quoad Ecclesiam. Vnde non mirum, si dispensatio superueniens eum validorem, quoad forū conscientie, confirmet. 2. Dummodo non sit in terrij coelecti praesudicium

judicium, qui (cùm prior electio sit nulla) jus
 habet ad rem. Sic specul. sup. Tandem dummodò
 beneficiarius ille non acceptauerit scienter cum
 vitio illo, beneficij collationem, jure enim esset
 intrusus, ac proinde oporteret nõ tantùm prioris
 vitij dispensationem obrinere, sed illius quoque
 intrusionis, cùm tunc, respectu illius beneficij, sit
 duplex impedimentum canonicum, alterum
 prioris vitij, alterum autem intrusionis. Existi-
 mat tamen Sanch. impetratã dispensatione
 vtriusque vitij occulti, ratam fieri collatio-
 nem, dispensationem verò concedere potest
 vnus & idem. Intrusus autem dicitur, qui
 absque canonico & legitimo titulo, sed vitioso,
 beneficium capit. Hucusque ex Sanch. Addit
 autem P. Cypr. quoddã cùm inhabilitas illa
 ad beneficia sit pœna, licet priuatiua, pro-
 babilissimum esse, necessariam esse judicis
 sententiam, vt incurratur; ac propterea in
 casibus simoniæ occultæ non esse opus dis-
 pensatione, per quam rehabilitaretur, qui
 simoniacè etiam intrusus fuit ad aliquod
 beneficium, vt illud retineat, vel aliud ob-
 tineat. Verùm ad hanc additionem respon-
 detur, licet opus non fuerit, secundùm il-
 lam doctrinam, dispensatione ratione pœ-
 næ, erit tamen opus propter excommuni-
 cationem annexam, quæ non minùs occul-
 ta, quàm publica, electionem huiusmodi

R 5

seu

seu collationem invalidat, iuxta dicta superius. n. 166. Insuper verò dico cum P. Sigism. dub. 95. ad tollendam inhabilitatem occultam in foro conscientiae, & consequenter ad præfatam rehabilitationem, sufficere dispensationem & absolutionem, quæ fieri solet in visitationibus & præambulis ad Electionem. Valeret etiam ad hoc facultas, quã habent Inferiores nostri Prælati & Confessarij, absoluendi etiam in foro conscientiae tantùm, à quibusvis censuris & dispensandi in omnibus irregularitatibus, tam publicis quàm secretis, in quibus omnibus absolvere seu dispensare potest Reverendissimus N. P. Generalis, nisi expressè restringeretur ad usum duntaxat Sacramentorum. Cum ergo Inhabilitas illa vsui passiuo vel actiuo Sacramentorũ nihil obstat, neque illum impediatur, ad hanc tollendam, facultas illa minimè se extendit. Quia lex non includit illud, ad quod mens & ratio authoris se non extendit. c. Intelligentia. c. Propterea. c. In his. de verbor. signif.

CLXX. 170. An si excommunicatus, vel inhabilis, vel priuatus occultus eligatur ad officium vel dignitatem Ordinis, teneatur se prodero, vel non acceptare? Soar. de Censur. disp. 13. sec. 1. n. 31. ita resoluit: 1. teneatur quantum potest renuntiare omnibus vjjs & modis,

Eligendus
inhabilis
cum id
prodero
teneatur

modis, quantum poterit: dicendo in communem se non esse idoneum, vel quid simile. 2. Si hoc non sufficit, & impedimentum defectum non sit infamatorium valde, debet illud publicare saltem Pralato in occulto, ne confirmetur: & si hæc duo non faciat, peccabit mortaliter cum onere restituendi. 3. Si precedentia non habeant locum, vel non sufficiant nisi publicando impedimentum infamatorium, non tenetur se prodere, sed potest acceptare; at cum primum poterit, procurare debet dispensationem, & novam confirmationem in officio, idque in secreto, seu collationem novam officij. Soarem sequitur Portel. in dub. Regul. V. Officia Ordinis, n. 7. & alij insuper allegatis Peyr. de Pralato. q. 2. c. 5. n. 6.

171. Addunt communiter DD. (P. Philip. de Bictis in epitome cans. Iudic. q. 127. certam doctrinam appellat) quæcunque & quantumvis inualida sit, nullaque electio, & Provisio Superioris, Iudicis, Parochi, Confessarij vel similis, eorum gesta valere, tam in foro conscientiae & sacramentali, quam contentioso, si titulum habent ab eo, qui tale officium vel Iurisdictionem tribuere potest, etiamsi sciat impedimentum alterius, aut collationem esse inualidam, modò ipse conferat quantum in se est, saltem actu externo, & communi errore putetur legitimus.

CLXXI.
Inualida
Electio
sua quid
valens.

aus superior. Idem est, quando alicui Iurisdictionis est occultè ablata, & ille nihilominus se pro Superiore gerit, & communi errore habetur. Imo licet aliqui, de quorum interesse agitur, scirent impedimentum, aut populus dubitet, an talis officio priuatus sit. Ita pro bono communi Iurisdictionem illis tribuere iure, tam ciuili quàm Ecclesiastico, ne tot sententias, collationes officiorum & beneficiorum, præsentationes, electiones & alia huiusmodi, tanquàm inualida, in maximam Reipublicæ & populi Christiani perturbationem rescindi oporteat. Dixi: *Si titulum habeat ab eo, qui officium vel Iurisdictionem tribuere potest.* Nam si dare non potest, aut impedimentum ipse tollere v. g. vt mulier, aut homo merè sæcularis consecret, aut à peccatis absoluat, nihil fiet, cum ad id de iure diuino requiratur ordo sacerdotalis. *Vide P. Philip. cit. Lefs. de Inst. l. 2. c. 29. n. 29. dub. 8. & Basil. Pont. qui lib. 3. de Matr. c. 22. n. 46.* rationes adducit, ea etiam gesta valere in foro externo, & etiam conscientie, sine titulo colorato, interueniente tantùm errore communi.

§. 3. DE PRAEAMBVLIS AD
Electiōnem.

172. **A**D Electiōnes vocandi sunt in-
amis omnes praesentes, ad quos
de iure pertinet eligere. Deinde omnes ab-
sentes, qui commodè vocari possunt; ac
tandem omnes, qui debent, & volunt, &
possunt commodè, & legitimè interesse. c.
Quia propter. de Elect. Electores praesentes,
etiam qui in hortis sunt, sufficit ad citatio-
nem, monere pulsatione campana, tegulae,
aut alio signo solito. *Bellaf. in Promptuar.*
Reg. V. Electio. Absentes verò per litteras,
vel nuncium, iuxta Religionum statuta,
vel consuetudines, vocandi sunt. Tenor
autem litterarum debet esse, vt Praelatus,
ad quem conuocare spectat, post salutatio-
nem in proëmio litterarum appositam, mo-
neat electorem, cui litteras dirigit, causam
ob quam celebrandum est Capitulum, v. g.
quia Prouincialis sui temporis officium ex-
pleturus sit, vel quia statuta sic exigunt an-
num fieri Capitulum, vel huiusmodi, &c.
Quapropter vt SS. Canonibus, & Ordinis
statutis satisfiat, &c. talem diem cum se-
quentium dierum continuatione statuiffe
ad celebrandum Capitulum, & per conse-
quens ad omnes electiōnes solitas in eo ce-
lebrandas,

CLXXII.
*Vocandi
ad Ele-
ctionem.*

lebrandas, & propterea eū (Guardianum) requirere & citare, vt die ipsa, cum suo P. Discreto, cuius electionem (conuocatis ad eam conuocandis) tempestiuè peragat, & peractam renuntiet, in tali loco conuenire velit ad tractandum ea, quæ ad eorum munerera vel personas de iure in ipso Capitulo spectant; aliàs ijs, vel aliquo eorum non comparente ad Electiones & alia capitularia peragenda, absque ijs se processuros, absentia eorum non obstante, &c. *Vide supra. n. 153. & P. Sigism. dub. 8.*

CLXXIII. 173. Qui commodè venire non possunt, vocandi non sunt, vt puta, si imminens Capituli Prouincialis celebratio, non concederet expectari aliquem fratrem absentem, qui suffragium in Electione Discreti habere præstare. Item si Electoribus ad comitia generalia conuenturis negaretur aditus ob pestilentia morbum, &c. In quo standum est arbitrio iudicis, cuius est ratam habere electionem, licet aliàs non sit ordinarius, P. Sigism. dub. 8.

CLXXIV. 174. Electio, non vocato sufficienter eorum aliquo, qui debent, volunt & possunt ei commodè interesse, non est ipso iure nulla, ad eius tamen petitionem irritanda est, si non vocatus contemptum sui profequatur;

*CLXXIII.
Nō Vocan-
di qui
commodè
venire ne-
queunt.*

*CLXXIV.
Nō Vocan-
di Ele-
ctio irri-
tari po-
teſt.*

quatur;
aut elec
contra
antece
ignot
firmat
& co
noru
171
neu
Goar
fuz
pecc
iuris
Disce
nuen
non
nū Re
172
ſu dile
netes, v
rigend
quiden
qui ſu
ſuſtine
bet po
expet
per ſu
ſumet

quatur; secus autem, si non prosequitur, aut electionem vult ratam habere, aut non contradicat electioni infra tempus, quod antecedit confirmationem, nisi constet eum ignorasse celebrationem electionis & confirmationis, vel nisi vnico actu fiat electio & confirmatio, vt in Prouisione Guardianorum. *ibid. dub. 9.*

175. Qui iure Regulari, & ex officio tenetur electionem accedere, vt Prouincialis, Guardiani, Discreti &c. non possunt voci suae renuntiare, & si renuntiant, mortaliter peccant. Secus autem est, si ratione tantum iuris priuati, vt sunt fratres in electione Discreti localis, qui renuntiare possunt; Renuentes interesse electioni, compellendi non sunt, nisi renuntiatio illa cedat in damnum Religionis, vel Prouinciae, seu Monasterij v.g. si potestas eligendi penes alios laxioris disciplinae amatores & sequaces remaneret, vel si ex defectu illius vocis electio dirigenda esset in indignum, seu in dignum quidem, sed non in notabiliter digniorem, qui fuisset electus, si praefatus renuntians suffragium tulisset, & huiusmodi &c. debet porro Renuntiatio fieri à renuntiante expressè, & in loco patente, vel in scriptis per litteras &c. cui tamen etiam licet reasumere suam vocem, quamdiu Superior eam

CLXXV.

Qua renuntiare voci non potest

eam renuntiationem non acceptauerit
Ibid. dub. 13.

CLXXVI. 176. Assignato termino ad eligendum, v. g. die Pentecostes, si aliqui non comparuerunt, possunt reliqui ad electionem procedere, etiam si vnus solus reperiretur in Capitulo, quia iste non tenetur dimittere ius suum, propter aliorum absentiam, qui sufficienter moniti in termino praefixo non comparuerunt. Idem est dicendum, si congregatis omnibus in Capitulo, aliqui egrediantur, possunt de iure, qui remanent, electionem facere, etiam si vnus solus remaneat. Quia qui exierunt, non computantur amplius in numero electorum. Peyr. de subd. q. 1. c. 31. §. 6.

§. 4. DE HIS, QVAE COMITARI
solent actum electionis.

CLXXVII. 177. AD legitimum electionis actum suffragia sua offerant simul, seu in Capitulo congregati. Est enim haec generalis doctrina; actum, qui competit aliquibus, non vt personae singulares sunt, sed vt Collegium constituunt, expediri ab ijs non posse seorsim interrogati, sed necesse esse, vt Collegialiter conueniant ad decernendum. c. In Genesi. de Elect. Vbi electio secus facta, irrita & inanis declarata habetur. 178,

178. Irritam quoque nonnulli pronun-
 tiant electionem, si absque rationabili cau-
 sa fiat extra Ecclesie ambitum; contra quos *Electio-
 nis locus.*
 Laym. de Elect. q. 33. non irritam esse, sed
 irritari posse, tanquam factam contra cano-
 num prescriptum; locum non esse de sub-
 stantia electionis, verius tenet P. Sigism.
 dub. 15. qui tamen ex Panor. male facere di-
 cit Electores peruertendo consuetudinem,
 hoc est, extra locum consuetum, presertim
 in cubiculis, quasi per occulta conuenticu-
 la, quales electiones velut clandestinas re-
 probant SS. Canones c. 2. dist. 79. Et c. Quia
 propter. §. Electiones. Est verò apud nos lo-
 cus consuetus ad Electiones locales Discre-
 ti, nec non & Capitulares Prouincialis ac
 Definitorum, &c. ipsum Refectorium; Ad
 Electiones autem alias Definitoriales, locus
 Definitionis.

179. De tempore eligendi, electum præ-
 sentandi, confirmandi, &c. multa in iure
 sancita reperiuntur, quæ tamen Religiosos
 amplius non afficiunt, presertim FF. Mino-
 res, per priuilegium speciale relatum in
 Compend. V. Electio. n. 4. quo Clemens 4.
 statuit seu concessit, quòd in electionibus
 Generalis & Prouincialium Ministrorum
 prædicti Ordinis fratribus, qui debent ele-
 ctionem huiusmodi celebrare, tempus su-
 per

per hoc à jure statutum non currat, nec ipsi huiusmodi regulis in hac parte coarctentur. Vicissim verò variæ circà hoc, pro nostro Ordine extant Pontificiæ Constitutiones, secundùm quas, nostras Electiones instituere oportet. Ac primò quidem Ordinatio Leon. 10. in *Bulla Unionis*; quòd Minister Generalis, per sex annos; & Prouinciales, per tres tantùm in officio durare possint: quibus annis expletis, ipso facto sint ab officio absoluti & pro absolutis ab omnibus fratribus habeantur, &c. Eam ex parte sequuntur nostræ Constitutiones, quæ c. 8. sic statuunt; 1. de Prouinciali: *Exacto autem triennio, inquit, in ipso Prouincialatûs munere, in eadem Prouincia ad idem officium iterum eligi aut confirmari, nisi lapsò altero triennio, minime possit; quinimò & in ipsa eadem Prouincia ab omni Prælationis munere per annum vacet. Sin autem in alia Prouincia ad idem Prouincialatûs officium iterum eligatur; poterit ipsum per aliud triennium obire, eo porò exacto, cesser & vacet, vt supra, nimirum vt in nulla Prouincia ad Prouincialatûs officium iterum eligi nequeat, nisi alterum intercedat triennium.* 2. de Generali: *Facta autem PP. Definitorum electione, A. R. P. Generalis in eorum manus sigilla deponet ac renunciabit, & in publico Capitulo culpam dicet, eo planè modo,* quæ

quo in Prouincialibus Capitulis à Prouincialibus fieri solet, & supra expositum fuit. Quo facto ab omnibus deinceps vocalibus (inuocato primùm Spiritu Sancto cum solitis cœremonijs) noui Generalis Electio fiet; qui demùm sui officij sexennio transacto ab omni Prælatione liber per alterum sexennium existat. De Guardianis denique ita statuitur: Guardiani porro ad eiusmodi administrandum officium in eodem loco, solum ad triennium deligi possint; in alio vero loco collocati, eodem munere per aliud triennium desungi valeant: Exacto autem in Guardianatus officio sexennio, ab omni huiusmodi munere per annum vacent. Per hoc autem notè interdicitur, ne dicti Guardiani eo lapsò tempore in Ministrum Prouincialem & etiam in Generalem deligi possint, &c. In his, vt dixi, ex parte sequuntur Ordinationem Leon. 10. quædam addendo, quædam omittendo; quodd enim expleto illo tempore sexennij aut triennij, ipso facto habeantur pro absolutis ab officio, nulla fit mentio; ex quo tacitè videtur esse sublatum. Et quamuis Ordinatio illa, vt sonat, obseruaretur, & adhuc in suo robore esset, non esset tamen putandum, quodd verba illa: quibus annis expletis, ipso facto ab officio sint absoluti, &c. sic præcisè & strictè sint intelligenda, quin possit ipsis Ministris per mensem & per

menes huiusmodi officium prolongari vel breuiari, secundum quod Capitula Pronincialia vel Generalia accelerantur, vel protrahuntur, iuxta consimilem declarationem factam in statutis Ordinis circa ordinationem tul. 2. vt omnia officia Ordinis sint triennialia, quæ referuntur in Compend. Priu. V. *Officia Ordinis. n. 2.* Ita P. Sorbo. *Ibid. V. Electio.* Vbi tamen tutius iudicat, vt succedente casu, antequam ad finem talis triennij deueniretur, Generali nuntiaretur, vt, quid faciendum esset, determinaret.

CLXXX.
*Electio
dilatatio.*

180. In Generali Conc. Lateran. *sub Innoc. 3. quod refertur c. Ne pro defectu. de Electi.* statutum est, vt vltra tres menses à die Vacacionis computandos, in Ecclesijs Cathedralibus & Regularibus, electio Pralati, iusto impedimento cessante, non differatur: alioquin qui eligere debuerant, eà vice, priuati sint, & potestas eligendi ad proximum eorum Superiorem ipso iure deuoluatur; qui & ipse intra tres menses à die deuolutionis numerandos Ecclesie providere tenetur &c. De hoc ita nostra statuta decernunt: si contigerit, aliquem Guardianum citrà sex menses ante Capitulum deficere aut mori, nullus alius Guardianus eius loco fiat. Sin autem ante sex menses deficiat, alius in eius locum, modo superius exposito, sufficiatur. Quæ licet contra jus commune *cit. c. Ne pro defectu. dire-*

Etè militent, seruanda tamen sunt, ob dicta
Superius. Videat. P. Sigism. dub. 16.

181. In Regulæ nostræ c. 8. præscribun-
tur personæ electrices ac tempus Electionis
Generalis Ministri, vt scilicet Prouinciales &
Custodes conueniant in Capitulo Pentecostes &c.
Addunt statuta eod. c. vt iuxta Pauli 5. Bul-
lam, Capitulum hoc generale fiat singulis sexen-
nijs, &c. De Capitulis autem Prouinciali-
bus, vt singulis annis secundâ vel tertiâ fe-
riâ sextâ post Resurrectionis Pascha, vel in
alio anni tempore, penes Prouinciarû con-
suetudinem celebrentur. De hoc quod
aiunt, vt fiant singulis annis, vide V. Capitu-
lum. n. 65. Ad hæc Clemens 5. in declara-
tione Regulæ FF. Minorum. Clem. Exiui. de
verborum signif. §. demum. statuit & ordina-
uit, quod Electio Ministri Prouincialis per-
tineat ad Capitulum Prouinciale, quam idem
Capitulum die sequenti, qua fuerit congregatû,
facere teneatur. Et §. Caterùm. addit idem
Pontifex: Caterùm, si Capitulum memoratum
die prædictâ Ministrum eligere prætermittat, ex-
tunc Ministri Prouincialis prouiso ad Genera-
lem Ministrum liberè deuoluatur.

Ex hoc decreto duplex oritur dubium. *Duplex*
1. Vnde sibi sumat exordium tempus, quod *dubium.*
Pontifex præfigit Electoribus ad celebra-
tionem dictæ electionis. 2. Quid intelli-

§3

gatur

CLXXXI.
Dies Ele-
ctionis Prou-
incialis
præfixus.

gatur illis verbis: *die sequenti facere teneatur?* Quia enim primo Capituli die, præter electiones Definitorum, fit insuper syndicatus contra Prouincialem, ad effectum, vt infra triennium sui officij possit à suis officijs absolui, vel in eis denuò confirmari, secundùm quod utilis vel minùs utilis in eis inuentus fuerit, sicuti declarauit Leo 10. in Bulla. *Ite & Vos. An: 1617. die 29. May.* fieri potest, vt ijs negotijs non vnã diem tantùm, sed plures etiam insumere necesse sit. Absurdum autem & alienum à sancta & iusta mente Pontificis videtur, Electores tantis negotijs implicitos ita arctare ad illum diem, vt nisi eo ipso quoq; electionem perficiant, potestatem eligendi amittant.

P. Sigism. *dub. 101.* ad vtrumque simul respondet his verbis: *Nonnulli opinati sunt prædictum tempus inchoare ab vltimo signo ad electionem Definitorum de more dato. Alij verò, vt Tusa in suo manuscripto, multiq; doctissimi Viri rectius sustinent, ab vltimo signo ad Electionem Prouincialis factò, ita vt sit sensus; quam idem Capitulum die sequenti, quã fuerit congregatum (supple ad Electionem Prouincialis celebrandam) facere teneatur, quòd si eã die & sequenti non fuerit celebrata; tunc Ministri Prouincialis Prouiso ad Generalem Ministrum liberè deuoluatur. Hæc ille.* Quibus verbis,

si benè capio, videtur primum diem Capituli v. g. feriam sextam, dare primis actionibus, puta definitorum electioni & syndicatui circa P. Prouincialem, quibus si dies illa forsan ita infumatur, vt minor aut modica illius pars supersit, teneantur quidem ad electionem vltiorem Prouincialis procedere, si tamen ea die non absoluantur, concedere sequentem, Sabbathi scilicet; quâ si necdum electus fuerit Prouincialis, tunc eius Prouisio ad P. Generalem spectet. Quid autem si totum illud biduum, aut amplius fortè negotiis illis primis infumi necessum sit? sanè Canones illi & rationes, quibus ille Pater vtitur, tempus quantumuis diuturnum electoribus præiudicare nolunt, quamdiu per illos nō stat, vt ad electionem perueniant. Sic expressè habet *c. Quia diuersitatem, de concess: præbend. vbi textus; Tempus, inquit, quo ad Apostol. Sed. accessit, & apud illam permansit, vel recessit ab illa, intra sex menses nullatenus computetur.*

182. Quidquid sit de mente illius authoris. Ad dubia illa R. 1. diem electioni Prouincialis in dicta Clement. ad minus debere esse viginti quatuor horarum. Ita tenet cum Rodriq. 10. 2. q. 53. a. 6. Mirand. 20. 2. Manual. q. 23. a. 33. & Portel. in dub. regul. V. Electio, n. 8. dum dicunt, conformi-

CLXXXII.

Quando
sumas
exordi-
um.

ter suis statutis Toletanis, vtique ad mentem illius Clement. factis, si Electores vnâ die naturali per discordiam non eligant, præselektionis possit eligere quem voluerit, etiam si sit electio Prouincialis, Abbatissæ & similibus. Alioqui priuarentur Electores absque culpa, contra D. Aug. *lib. 1. retract. 9.* D. Thom. 2. 2. q. 108. a. 4. & 112. q. 87. a. 7. & 8. dicentes: *panam præsupponere culpam*: duas enim ob causas iura volunt potestatem eligendi, vel conferendi beneficium Ecclesiasticum, ad Superiores deuolui. 1. propter negligentiam, quia intra tempus à iure statutum facta non est electio, præsentatio, collatio &c. *cit. c. Quia diversitatem* 2. propter delictum, si nempe Capitulares indignum elegerint, aut formam eligendi non seruauerint &c. *de quo supra n. 149 & 157.* Duplex autem hic negligentia interuenire potest 1. si diu nimis proteletur electio. 2. si propter discordiam, in electione tempus nociuè insumatur. Ratione 1. mandat Pontifex, vt cum congregati fuerint Capitulares, mox alterâ seu sequenti die Prouincialis electionem facere teneantur, præmissis nempe præmittendis, electione scilicet Definitorum, & exceptionibus seu accusationibus, quæ contra Prouincialem recipi solent à noua Definitione,

iuxta

iuxta dispositionem Constit. *Consuevit. §. 4. Greg. 13. data An. 1573* vt refert. P. Sigism. *loco cit.* Ratione 2. statuit, vt si ad electionem huiusmodi, votis in diuersa diuisis, electiones plures in discordia celebrari contingat, illa quæ à maiori parte Capiculi numero fuerit celebrata, exceptione seu contradictione quacunque alterius partis non obstante, per Generalem Ministrum confirmetur vel infirmetur, &c. Intendit ergo legis ator duplici huic, socordix ac discordix, malo, ex quo quamplurima alia prouenire solent, occurrere, præcipiendo Electionem negligenter non differri, & vnum solum diem Electoribus concedendo, castigare discordiam. Pro cuius confirmatione & alterius quoq; dubij resolutione *§. 2.* diem illum Electioni definitum, exordium sumere ab vltimo signo dato ad Electione ipsius Prouincialis. Probat, quia ratio tota cur in iure præfigatur certum tempus, est contrà negligentes tantum. *cit. c. Quia.* Qui autem iuste impeditus aliquid præstare nequit, negligens dici non potest, neque imputari negligentia, vbi diligentia nihil proficeret. *l. fin. §. si ea conditione. ff. ad l. Rhod. de tactu. Barbos. Axiom. 169. n. 3. Conf. ex c. Ne pro defectu. de Elect. iun. Gl. V. iusta impedimento.* Ex quibus generalis Regula

Ss

datur,

datur, Electoribus iustè impeditis non currere tempus ad eligendum, hoc est, ijs numerari nõ debere tempus, intrà quod eligere non poterunt, tamen si ob culpam etiam propriam in tale impedimentum v. g. suspensionis censuram, inciderint. *saped. c. Quia.* vbi propter eandem etiam causam excusantur Ignorantes, Ibi: *Semestre autem tempus* (electioni beneficiorum Ecclesiasticorum, præter Ecclesias Cathedralis & Regulares, quibus trium mensium præscribitur spatium, præfixum) *non à tempore vacationis præbendarũ, sed notitia ipsius potius volumus computari.* Antè enim negligentia imputari non poterat ignorantì. *L. si quis ignorans ff. ad Syllan. Barb. vbi sup.* Totum igitur illud tempus quantumvis diuturnum, & aliquot etiam dierum, quo iustè impediti Electores, Prouincialis electionem instituere non poterant, ad hanc computari non debet. *Videaped. c. Quia diuersitatem.*

CLXXX. 183. Quæ hæcenus dixi, spatio, Electioni Prouincialis, à jure constituto, extendit Mirand. vbi sup. etiã ad Electionem Guardianorum & Abbatissarum: quod in hac eadem ferè ratio militet. Portel. *ibid.* Et expressiùs in *Respons. Moral. p. 1. cas. 29. n. 10.* videtur extendere vsque ad electionem Di-

screti.

III.
Num aliquos quoque
governat?

creti. Sed melius Rodriq. cit. a. 6. vtrum-
 que negat; neque enim par hinc militat ra-
 tio, aut tanta est necessitas seu periculum
 circa Guardianum, quam Prouincialem,
 multò minus autem circa Discretos. Vbi
 autem minus periculum versatur, tempus
 conceditur longius. Feyr. de subd. q. 1. c. 31.
 vers. Noto. 9. post Cucch. Hoc verò maximè
 veritatè habet, quantum ad deuolutionem,
 quæ cum sit in pœnam negligentæ, exten-
 denda non est ad alios casus non expressos,
 sed potius restringenda. *l. factum cuique.*
§. in Pœnalibus. vbi Decius. ff. de Reg. Iur. c.
in Pœnis. eod. tit. lib. 6. etiamsi extensio
 fiat ex similitudine rationis. *Io. Andr. in*
Reg. Oria de Reg. Iur. in 6. Ad hoc igitur
 quod attinet, standum est dispositioni spe-
 ciali ordinis, de qua quatenus Discretos
 concernit supra n. 153. Quod si nihil tale
 habetur, casus omissus remanet sub dispo-
 sitione Iuris communis. *l. commodissime. ff.*
de lib. & Posthum. P. Sigism. dub. 16. & 112.
 De Guardianis ergò cū apud nos aliud sta-
 tutum nō habeatur, quàm quodd, vno aliquo
 diem vitæ suæ claudente, si non supersint
 amplius sex menses ad Capitulum, necesse
 non sit alium Guardianum substituere; in
 hoc seruanda est specialis ordinis constitu-
 tio. Sin autem tempus sex mensium excedat,

dar.

dat, eligendus est nouus Guardianus, in quo si Definitio spatii trium mensium neglexerit prouidere, videtur locum habere, quod in iure communi statutum est. *c. Ne pro defestu. de Elect.* vi. nisi intra spatium trimestre, quoad Ecclesias Cathedrales & Regulares fiat noua Pastoris electio, denolatur ad Superiorem, qui apud nos est Reuerendissimus P. Generalis. *vide n. 180.*

Sed pono casum. Altero, post Capitulum Prouinciale, mense, moritur Guardianus alicuius Conuentus, P. Prouincialis uisitando Prouinciam occupatus, omittit spatium trium mensium conuocare Definitionem, expectans tempus consuetae Congregationis, quae singulo ferè semestri fieri solet: poteritne tunc, non obstante, quod ultra tres menses tempus effluerit, Definitio adhuc Guardianum eligere? Si Laymannum consulas, dicit hic *de Elect.* q. 99. secundum ius commune, non posse sic mortam purgari, quominus electio vel prouisio, tanquam non canonicè facta, & omnia quae inde secuta sunt, reprobari à Superiore queant. Sed hoc non attento, existimo posse id fieri per concessionem Clem. 4. n. 179. relatum. Concedit uerò etiam ipse Laym. Electionem vel Prouisionem, spectato naturali iure validam esse, & electum vel prouisum in

in conscientia tutum, per ea que dixi n. 149.
 Quin etiam in collato beneficio toleran-
 dum, si persona sit alioquin idonea, constat
 ex c. Litteras. de suppl. negl. Pralat.

184. In Conc. Trid. sess. 25. De Regul.
 c. 6. In electione Superiorum quorumcun-
 que, Abbatum temporalium, & aliorum
 officialium, ac Generalium, & Abbatissa-
 rum, atque aliarum Præpositarum, quæ
 omnia rectè sine vlla fraude fiant, imprimis
 S. Synodus distinctè præcipit omnes supradictos
 eligi debere per vota secreta, ita vt singulorum
 eligentium nomina nunquam publicentur. Nec
 in posterum liceat Prouinciales aut Abbates,
 Priores aut alios quoscunque Titulares ad esse-
 ctum electionis faciendæ constituere, aut voces &
 suffragia absentium supplere Si verò contra hu-
 jus decreti constitutionem aliquis electus fuerit,
 electio irrita sit, & is qui ad hunc effectum se in
 Prouincialem, Abbatem, aut Priorem eligi per-
 miserit, deinceps ad omnia officia in Religione
 obrinenda inhabilis existat, facultatesque super
 his concessæ eoispo abrogatæ censeantur, & si in
 posterum alia concedantur, tanquam surreptitiæ
 habeantur. Ita textus, quem declarans Nau.
 l. 1. Conf. 4. Edict. ant. dicit Intentionem &
 mentem Concilij fuisse statuere, vt Capitula
 facerent electiones secretè in hunc sensum:
 quod non permittant fieri aliquid, ex quo
 publicari

CLXXX.
 IV.

Vota de-
 bent esse
 secreta.

publicari possint nomina eligentium, & si tale quid permiserint & factum fuerit, electionem non valere. Intentionem item fuisse, vt nullus Capitularium manifestet suum suffragium alij publicè nec secretè; & quòd si manifestaret publicè, & Capitulum id permetteret, electionem non valere. Si autem secretè alicui manifestaret, castigaretur ille: Et si illa manifestatio esset, vel praesumeretur causa fuisse, cur talis electio facta fuisset, cassaretur illa, & aliàs non; ne in sua potestate esset cassare, publicando se manifestasse suum suffragium, vel ratificare id tacendo, quia nihil iure naturæ requisitum ob id deforet electioni. Hæc ille. Noster tamen Bassæ, *V. Electio n. 6.* Quamvis illicitum sit Electori suum votum publicare ante vel post electionem, asserendo se huic suffragaturum, aut suffragatum esse; talem tamen electionem per hoc non inualidari docet; quia potest Elector in tali publicatione simulare, & suffragium diuersum ferre ab eo quod dicit: Concilium autem Tridentinum præcipit, quod in ipso actu Scrutinij sint secreta; quia agit de votis, quibus actus electionis exercetur: dum autem in actu scrutinij sunt secreta, fit electio per secreta vota, & obseruatur forma Concilij.

Vide Lezan. V. Electio.

n. 11.

An

An teneat Prouisio alicuius Guardiani, & Provincialis & Definitores eam non celebrent secretò, sed palàm, ita vt vnusquisque aure percipiat vota aliorum? R. neg. de iure & consuetudine. Nam decretum irritans, quale est illud Conc. Trid. tollit consuetudinem nedum in præteritum, sed etiam in futurum. P. Sigism. *dub. 7.* Quomodo tamen hoc non obstante, sine etiam incurfu pœnarum contrà Subornatores latarum, possint conferre inuicem super eligendis, præter dicta V. *Definitores n. 126.* Videri possunt *Rodr. 10. 2. qq. Regul. q. 56. a. 1. Lezan. 10. 1. c. 15. n. 24.* & noster P. Philip. de Bictis *in Epit. caus. Iud. q. 127. n. 20.* Qui concorditer dicunt, ad malam subornationem, quæ prohibita est per SS. Pont. non spectare, neque prohiberi, quin secum Electores de eligendorum qualitatibus tractare possint, vitia manifestando, virtutesque insinuando, iustitia, charitate, & veritate seruatis, ad hoc vt dignior cæteris præferatur, cum necesse sit, vt electores, virtutes & vitia eligendorum agnoscant.

Vbi sunt tres vocales, quorum vnus potest eligi in Discretum, & per consequens necesse est, vt alter aliorum duorum, qui remanent, det alteri vocem suam, & ita electio non potest esse secreta, dubitatum fuit

an fieri possit electio Discreti, quæ non sit
 contra dicti decreti formam? S. Congrega-
 tio censuit posse, si ita status Religionis per-
 mittit. P. Sigism. *dub. 22. P. Basilæ ubi supra.*

CLXXXV. 185. Debent vota insuper esse certa,
 determinata, pura, sincera, gratuita & li-
 bera. Non alternatiua v. g. consensio in P.
 Franciscum vel P. Antonium. Non incerti-
 ta v. g. eligo quem Guardianus elegerit.
 Non conditionata, si conditio sit de futuro
 suspendens actum, v. g. eligo Petrum, si
 maior pars in eum consentiat. Secus est de
 Conditionibus quæ referuntur ad præsens
 vel præteritum tempus, v. g. eligo Paulum,
 si viuit, vel legitimè natus est. P. Sigism.
dub. 27.

Vota non gratuita, sed data propter
 aliquod munus, vel à manu, vel à lingua,
 vel ab obsequio, præter simoniæ labem, quæ
 continent, reddunt electionem in re spiri-
 tuali, qualis est Prælaturæ, beneficia, &c.
 ipso jure nullam antè omnem iudicis sen-
 tentiam, etiam declaratoriam, nullum quæ
 jus vel effectum confert: & qui sic electus
 est, tenetur in conscientia Prælaturam re-
 nunciare, nec antè renuntiationem potest
 absolui, quantumuis occultum sit eiusmodi
 delictum. Vide tamen dicta *V. Pæna*. Si
 alius dedit munus, sciente illo, cui officium
 proci-

procurabatur, & non contradicente; Item
 i conueniant & paciscatur electores, quod
 nus suffragetur vni in vna electione, & al-
 er suffragabitur in alia, vt si dicant, si de-
 leris mihi vel alijs tuum votum, ego dabo
 tibi meum, vel amico tuo; Electio secuta
 est simoniaca, cum sit datio rei spiritualis
 pro alia re, vel onere, &c. *Lezan. to. 1. c. 15.*
n. 28. 29.

Debent denique vota esse omnino li-
 pera, alias electio ipso iure irrita & nulla
 habetur, si cogentur electores vnum ali-
 quem determinatum eligere. *c. Cum terra.*
de Elect. Et c. Vbi periculum. S. Caterum. de
Elect. in 6. Extendunt aliqui hoc ad casum,
 quo fieret coarctatio, non ad vnam solum,
 verum etiam plures personas, tres scilicet
 vel quatuor. *De quo vid. Lezan. to. 1. qq. Reg-*
c. 15. n. 21. Non est tamen contra libertatem
 electionis, quod Electores coarctentur ad
 eligendum aliquod genus personarum v. g. Ma-
 gistrorum, Definitorum, talis Nationis, &c.
 vel de certo gremio, ex vi alicuius statuti,
 approbatæ consuetudinis, aut priuilegij,
 & quibus ubi non essent nisi duo idonei. *P. Sigism.*
dub. 50. Si vnus tantum adesset idoneus, ait
Peyr. de subd. q. 1. c. 31. §. 3. posse illum ele-
 ctorem eligere, etiamsi notorius esset pec-
 cator

T

186. Si

CLXXX.

186. Si quis inutiliter votum ferat, v. g. incertum, vel incapacem eligendo, aut per errorem, vel etiam malitiam, misit in urnam schedam albam, &c. habetur pro non adiecto, ac si de numero vocalium non esset, sicuti si quis renunciaret. Et inutiliter suffragans priuatur eo scrutinio, nisi simplicitas vel ignorantia excuset. Quod si novum fiat scrutinium, possunt tales iterum suffragari. Nau. l. 1. *Conf. de Elect. conf. 7. P. Sigism. dub. 28.* Quid si autem suffragium dedit alicui, quem quis, mox ut schedam in urnam proiecit, intelligit esse inhabilem? *32. Peyr. cit. §. 6. Doleat, non de peccato, quod non commisit, cum fecerit, quantum poruit, sed de malo, quod communitati imminet, &c.*

CLXXX.

VII. 187. Quod si scrutinium eadem die aut altera absolui non poterit, ob magnum fortè numerum eligentium, poterit aliis etiam diebus continuatis negotium perfici, ac multò magis ad actus naturæ necessarios diuertere licebit, puta ad reficiendum corpus cibo, aliisque necessariis. *Rodrig. to. 2. qq. Reg. q. 52. a. 3.* Quod intellige saluis aliis decretis vel statutis, vt in electione Discreti non repetantur scrutinia vltra numerum constitutum. Item in electione Prouincialis, vt intrà diem naturalem, seu spatium viginti quatuor horarum peragatur, quo
calu

Electio
quandiu
possit re-
periri?

Casu licebit etiã de nocte electionem, cum
sufficienti tamen candelarum numero, pro-
sequi. P. Sigism. *dub. 17.* negans id alioquin
licere in electionibus Definitorum & Cu-
stodum, nisi fortè ad euitandam nimis lon-
gam celebrationem Comitiorum; aut in
electione Discreti, quando imminens cele-
bratio Capituli Prouincialis non patitur in
alterum diem differri.

188. Quotiescunquẽ nemo sufficien-
tem suffragiorum numerum obtinuit, pos-
sunt Electores mutatã sententiã accedere
ad numerum eius, qui plura, quàm alij, vo-
ta recepit, eumque eligibilem facere; Imo
sic decet fieri, nisi contrarium suadeat valde
urgens ratio; cum ob perspectam probita-
tem eligentium, eorumque iuramentum,
dubitare non liceat, eum qui à maiore parte
electus est, verè idoneum esse. Idemque est,
si duo æqualem suffragiorum numerum
sortiti sunt, quod Electores variare possint,
quandoquidem ex tali scrutinio electio se-
qui non potest, nisi aliquis mutatã sententiã
alterã electionem confirmet. Laym. q. 77.

CLXXX:
VIII.
Num. Gã
ta Gãtia
ri?

189. Si Electio ex eo non sortiatur effe-
ctum, quia electus consentire recusat, vel
post consensum renunciat iuri suo, aut for-
tè diem obit extremum, seu propter occul-
tum eius vitium irritetur: Electores qui
iam

CLXXX:
IX.
Num. re:
assums?

iam fecerunt, quod spectabat ad ipsos infra terminum iuris eligendo, habebunt à dissensu, morte, renuntiatione, vel irritatione prædictis (ac si vacatio nova esset) tempus integrum ad electionem aliam celebrandam, dummodò nihil fraudulenter egerint in præmissis. *c. si Electio. de Elect. in 6.* Idem dicendum, si sæpiùs id accadat. P. Sigism. *dub. 11. qui n. 5.* subdit casu quo talis vacatio contingeret, postquam vocales à loco Capituli iam discessère, cum Ecclesiam viduatam relinqui non oporteat, & incommodum valdè sit iteratò Capitulum novum indicare, propter publicam eiusmodi vtilitatem, posse Generalem siue Prouincialem providere, vel electionem etiam Generalis celebrari absque interuentu nonnullorum electorù; similiter & in electione Discreti, si fratres omnes, quorum interest, commodè amplius congregari nequeunt.

*§. 5. DE HIS QUAE ELECTI-
onem consequuntur.*

CXC.
*Electio
notificā-
da Electo.*

190. **E**lectione factà, tenentur Electores eam præsentare electo, & petere consensum eius intra octo dies, computandos à die electionis, postquam commodè poterunt, alioqui sunt suspensì per tres annos ab omnibus beneficijs ipsius Ecclesiæ.

c. Cu.

c. Cupientes. §. Caterum. de Elect. in 6. Electus autem intra mensem à die praesentationis numerandum, si consentire velit, consensum exprimere tenetur: Quod si ultra distulerit, iure, si quod ex electione acquisuerat, eo ipso priuatus manet. *c. Quam sit. de Elect. 6.*

191. In triplici casu Electus peccat mortaliter si dissentiat. 1. Si à Superiore cogatur, & stricto S. Obedientiae praeepto compellatur, nisi certus sit de notabili defectu, propter quem exercere non valeat munus iniunctum sine peccato. 2. quando scit alium aequè idoneum non esse, qui velit ac possit prouidere salutem animarum. 3. si per viam illicitam consentire refugit v. g. abscondendo se &c. Extra hos casus si renuat propter ignauiam seu pigritiam, peccat venialiter, si ex humilitate, meretur. P. Sigism. dub. 39.

CXCI.

Electus
num peccat
dissentiendo?

CXCII.

Electus
dat Ius
ad rem.

192. Electus per electionem solum acquirit ius ad Praelaturam, non autem exercitium, quàm si antè confirmationem administret, est ipso facto priuatus iure acquisito per electionem. *c. Auaritia. de Elect. in 6.* Lezan 10. 1. qq. Reg. c. 15. n. 36. Nostra tamen Constitutiones concedunt eam administrationem electo Prouinciali, modò sit in ipsa Prouincia, vsque dum confirmationem à P. Generali accipiat. *de quo videndus P. Sigism. dub. 103.*

T 3

193.

CXCIII. 193. Electio omnis confirmanda est à Primo Superiore. *c. Nihil. de Elect.* nisi aliud iure speciali vel consuetudine cautum sit, prouthodiè omnium ferè Ordinum Generales, statim ac sunt electi, remanent confirmati ex diuersorum Pontificum concessione. vt est videre apud Rodriq. *to. 2. q. 52. a. 2.* Confirmatio Prouincialis *iuxta Constit. Clem. 5. supra relatam*, spectat ad Generalem, qui si electionem infirmet, non propterea deuoluitur ad ipsum Prouisio Prouincialis, sed integrum est Capitulo Prouinciali alium eligere: nisi fortè propter illegitimam electionem priuaretur iure eligendi. P. Cyprian. *in c. 7. Reg. lec. 1.* Custodes ad Capitulum Generale, itemq; Discreti confirmati censentur, cum admissi declarantur à Generali, seu Prouinciali Definitione, ad omnes actus Capitulares peragendos, qui eis de iure constitutionalì competunt. P. Sigism. *dub. 109.* Nostri Guardiani, quia per prouisionem fiunt, vnico actu eliguntur & confirmantur. Idem *dub. 113. n. 6.* Definitores confirmantur ipso facto à Prouinciali tanquam Præside Capituli, dum peractà electione ipsdum sigillum consignat, *iuxta*

CXCIV. *Constit. c. 8.*

Cōfirmatō in quomodo casu possit? 194. Electio, præsertim in cōformitate facta, confirmata & in possessione posita, cassari

fari nequit, nisi citatis & auditis Electis. c. vlt. de Elect. 6. vbi DD. communiter. idque per plenas probationes. Nau. l. 5. Conf. de Iudais. conf. 1. n. 6. Lezan. in Relektione super valid. eiusdem Capit. in sine sue Summa. In dubio enim de validitate actus, debet interpretari, quod valeat. ff. de iniur. l. apud Labcon. §. si communem. Et Possessoris conditio, melior est in pari causâ. Reg. Iur. 65. in 6.

EVCHARISTIA.

195. Sacramentum Vnctionis Extrema, vel Eucharistia ministrare Sacularibus, & Matrimonia solemnizare, Regularibus tunc communi interdicitur.
196. Priuilegium administrandi SS. Eucharistiam extra diem Paschatis, 197. Et Mortis articulum.
198. Nisi Parochus absit, aut ipse iniuste nolite ministrare.
199. Sapius, an raro communicandum?

195. **C**œlestem hunc cibum, & Angelicum panem, Christi fidelibus frangere, proprium est munus Parochorū, aded quod Religiosi, vt à Gener. Conc. Viennensi definitum refertur in Clement. de Priuil. c. 1. qui Clericis aut Laicis Sacramentum Vnctionis extrema, vel Eucharistie ministrant.

CXCV. SS. Eucharistiã administrare Sacularibus, interdicitur Regularibus.